

tate infantium sit dicendum, partim ex sequentibus statuetur, partim alio pertinet.

*Inst. 5.* Non videtur ordini divinæ justitiae congruum, ut infantes propter peccatum in alio commissum priventur beatitudine naturali; tum quia haec est perfectio homini debita: tum quia naturalia juxta communem sententiam etiam post peccatum manent integra.

*R. N. Ass.* Contra quod pugnant rationes in thesi allatae, et argumentum a majori ad minus. Si enim *de fide* est, privationem beatitudinis supernaturalis esse penam justam peccati originalis, certe contra aequitatis divinæ leges non erit naturalis beatitudinis privatio.

*Ad rationem 1<sup>am</sup>.* *D.* Beatitudo naturalis est perfectio homini debita in actu primo, hoc est, homo naturaliter debet posse eam adiipiisci. *C.* est debita in actu secundo, hoc est, debet eam omnino actu et de facto possidere *N.*

*Ad rat. 2<sup>am</sup>.* *D.* Naturalia, que debentur ex intrinsecis naturæ principiis, manent integra. *C.* naturalia quidem, sed quæ non nisi per gratiam indebitam actu haberet et possideri possunt *N.* Talis autem esset *beatitudo naturalis* in præsenti questione:

### ARTICULUS III.

AN PARVULI SINE BAPTISMO DECEDENTES PUNIANTUR POENA SENSUS ET IGNIS  
INFERNALIS?

139. *Nota I.* Affirmativam sententiam Patres Latini HIER., AVIT., FULG., GRÉG. M., ISIDOR., ANSELM. post exortam Pelagii heresin magno consensu tenuisse videntur. Ambigitur autem de S. AUGUSTINI mente; tum quia L. 5. contr. Jul. c. 41. n. 44. levissimam damnationem parvolorum futuram scripsit: tum quia de pena parvolorum ibidem ait: *Quæ, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere quod eis ut nulli essent quam ut ibi essent, potius expediret*: tum quia in epist. 28. (al. 166. n. 16.) ad Hier. significavit, se coarctari angustiis, nec quid respondeat invenire, cum ad penas parvolorum ventum est: tum quia L. 3. de lib. arb. c. 23. ad objectionem Manichæorum de parvulis respondens, videtur medium quemdam statum concedere parvulis inter damnatos et beatos, sicut ibidem admittit quædam media inter recte factum atque peccatum, et medium judicis sententiam inter præmium et supplicium. Atque hinc D. THOMAS cum S. BONAVENTURA et post hos Scholastici multi eum in contrariam etiam partem trahere, aut saltem benignius interpretari conantur.

Aliis tamen e contrario, et partem etiam negativam tuerintibus quibusdam, de sancti hujus Doctoris mente nihil ambigendum videtur. In hanc rem proferunt prolixam ejus sententiam ex sermon. 14. de verb. Apóstoli. (al. serm. 294. c. 3. n. 3.) Ad ulteriorem hujus rei confirmationem fundamentis supra oppositis respondent: et quidem

Ad 1<sup>um</sup>, penam parvolorum mitissimam dici ac levissimam, non absolute, sed relate ad damnationem reproborum, qui peccata propria et personalia commiserunt.

Ad 2<sup>um</sup>, his verbis nihil voluisse, nisi quod, licet penæ quantitatem et qualitatem definire nequeat, non tamen ausit dicere, quod eis etc.; quia

hoc effatum Christus non dixit de peccatoribus quibuscumque, sed de scelerrissimis duntaxat, qualis scilicet erat Judas. Sicut vero S. Doctor minime dubius erat, an dæmones ab igne infernali patientur aliquid, licet non explicare posset, quid, quomodo et quantum ab igne patarentur: sic etiam ex verbis recitatis concludi nequit, cum fuisse dubium, utrum infantes ab igne aliquid patarentur.

Ad 3<sup>um</sup>, dixisse tantum, quod *in hypothesi creationis animarum singularium explicare nequeat, quomodo juste puniantur parvuli non solum pena æterna, sed etiam temporali in hac vita, ut ejus verba continuo subjектa docent.*

Ad 4<sup>um</sup>, permisso etiam, inquunt, quod S. Doctor scribens libros de libero arbitrio incertus fuerit de penis parvolorum, ipse tamen Aug. nihil inde probari ostendit L. de dono persev. c. 12. n. 30. Quantum vero postea ab hac dubitatione abhorruit, explicat ibidem paulo post: *Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam; quoniam quod scriptum est: Per unum hominem etc., aliter recte intelligi non potest: nec a morte perpetua, quæ justissime est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum aliquid magnorum; nisi ille, qui propter remittenda et originalia et propria peccata nostra mortuus est.*

140. *Nota II.* Post seculum XII. *sententia negans a MAGISTRO* sententiarum, *D. THOMA*, *S. BONAVENTURA*, Scoto aliisque scholarum Principibus adoptata sic invaluit, ut eam omnes aut fere omnes Scholastici sint amplexi, solis *Rigidioribus*, ut se profitentur, *AUGUSTINI* Discipulis exceptis; quibus tamen accensos nolim *Calvinum*, *Jansenium* aliasque novos dogmatistas partem affirmantem sectantes, utpote de quibus suspicionem injicit Martinon supr. cit. Disp. 40. sect. 6., id ab iisdem forte fieri, ut minuant horrorem dogmatis alterius, quo dicunt adulstos damnari ad ignem æternum propter opera facta sine usu liberi arbitrii et potestate abstinenti. Item ut acceptabile reddant dogma aliud, quod Deus ex massa generis humani per Adam corrupta, pro mera sua voluntate, seligat aliquos ad vitam æternam, alios destinet ad æternam mortem, destituatque mediis necessariis et sufficientibus, ut salvari possint.

Cæterum, ut Tournely recte ex Bellarmino notat, qui sententiam de sensilibus parvolorum penis veriorē esse putant, ei absque ulla excessus formidine adhærere debent: quia misericordia nostra erga parvulos defunctos nihil eis prôdese potest, sicut nec eis obesse potest sententia nostræ severitas; multum vero nobis obesset, si ob inutilem misericordiam contra Scripturam aut Patres pertinaciter aliquid defenderemus. Præterea quævis cavendum sit Clericis, ne has sciolæ opiniones in Catechesibus proponant, possunt tamen data occasione prudenter iidem priore opinione uti contra matres, quæ ex negligentiâ fœtus in utero suffocant, aut præmature effundunt: posteriore autem, ut leniant carum dolorem, quæ proles sine baptismo extinctas acerbius lugent; utraque enim vîre probabilis est, et neutra certa. Quænam vero probabilior nobis videatur, si aperiendum sit,

141. *Dico.* Probabilis videtur, infantes sine baptismo decedentes non puniri *pœna sensus*.

*Prob. I.* SCRIPTURA, ubicumque mentionem facit *ignis æterni* seu *pœnae sensus*, manifeste loqui videtur de tali poena, que præsupponit *peccatum actuale*. Ejusmodi sunt omnes illi textus, qui contra nos afferuntur ab Adversariis, et specialiter sententia Christi judicialis, qua ntitur S. Augustinus, Matth. 25. : *Discedite a me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: siti, et non dedistis mihi potum etc.* Idem Apoc. 18. 7, legitur : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Denique Isa. ult. et Marci 9. conjungitur vermis cum igne : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Omissiones enim culpabiles in primo, delegatio in secundo, morsus vermis etiam, id est, conscientia mali operis pungens et affligens in tertio, sunt actualia peccata, aut ea supponunt. Ergo, cum infantes hujusmodi actualiter non peccaverint, poena peccati actualis, hoc est, poena sensus etiam illis tribuenda non est.

*Conf. 1.* Poena sensus pro infantibus non est asserenda sine aperta auctoritate Scripturae et SS. Patrum communi; quia de *Deo*, ut Scriptura ait, est *sentiendum in bonitate*. Sed nec Scriptura auctoritas est aperta, ut proxime notatum: nec traditio etiam Patrum est communis, cum ali prioribus repugnent; scilicet GREG. NAZ. OR. 40. n. [23] in S. Baptisma; GREG. NYSS. ORAT. DE IIS, QUI MATURE ABRIPIUNTUR, sub finem (opp. t. 3. p. 338. A.) EUTHYM. EX S. CHRYS. IN PANOPHIA L. 2. c. 22.

*Conf. 2.* INNOCENTIUS III. C. MAJORES, de Baptismo §. Sed adhuc, sic ait: *Pœna originalis peccati est parentia visionis Dei: actualis vero peccati pœna est gehennæ perpetuae cruciatus.* Hic vero membrum primum debere intelligi exclusive, ita ut sensus sit, peccatum *originale* mereri solum illam parentiam: *actuale* autem mereri ulterius cruciatum gehennæ, patet tum ex oppositione inter utrumque a Pontifice facta, tum ex ratione, quam ibidem urget. Loquitur enim hic de eo, qui simul peccato originali et mortali actuali habitualiter manente infectus est, in eoque negat posse remitti prius, manente posteriori.

Ex eo autem, quod remissio secundum legem ordinariam fiat per infusionem gratiae justificantis, dantisque jus hereditarium vitæ æternæ, insert, quod, si cui actuale mortale habenti remitteretur originale, haberet jus ad visionem Dei ob remissum per gratiam originale, et simul debitum ea carendi, æternumque gehennæ cruciatum patiendi propter actualē restans; quæ duo sibi adversari dicit verbis mox subjectis: *Unde, si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, et cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis.* Sed hæc tanquam incompossibilia se minime patiuntur; imo sibi mutuo adversantur.

*Prob. II.* Deus neminem punit *pœna positiva sensus*, nisi propter culpam personalem et propria voluntate commissam; tum quia pœna physice propria, qualis est sensus, videtur tantum congruere culpæ personali, seu physice propria voluntate commissæ, ut servetur inter culpam et pœnam proporcio: tum quia pœna sensus est quedam exprobratio realis et *personalis*, quæ similiter culpæ duntaxat personali et propria voluntatis pver-

sitati deberi videtur: tum quia pœna sensus infligitur a Deo ad reparandum ordinem naturalem a culpa perversum: sola autem *personalis* culpa hunc violat; quia licet etiam originale peccatum supernaturalem ordinem, hoc est, conversionem ad Deum per donum gratiae supernaturale sustulerit, in homine tamen non dissolvit ordinem naturalem. Patet autem *originale peccatum* nec personale, nec physice propria voluntate commissam culpam esse; ergo.

*Conf. 1.* ECCLESIA in imponenda poena peccatis debita imitatur ordinem et modum præscriptum a justitia divina in delictorum punitione: sed nullam pœnam positivam aut satisfactionem pœnalem imponit pro peccato originali; ergo.

*Conf. 2.* RESPUBLICA non solet aliquem plectere pœna positiva et sensibili propter habitualem parentiam virtutum ac proritatem ad vitia; quamvis eos tanquam indigos rejiciat aliqua dignitate adipiscenda, qui virtutibus parent, et ad mala inclinant. Ergo infantes sine baptismo decedentes similiter juste repelluntur ab audeunda coelesti beatitudine, non ita autem sensibili pœna affici posse videntur; quia propter originalem labem fere tantum habitualiter sunt aversi a Deo, et ad concupiscentiam contra rationem proni.

142. *Obj. I.* Etiam parvuli comparebunt in judicio extremo; ut patet Matth. 25. v. 32., ad Rom. 14. v. 10., 2. ad Cor. 5. v. 10., Apoc. 4. v. 7.: sed in hoc judicio futuri sunt in sinistra, et judicabuntur; ergo.

R. Nec major nec minor de *fide* videtur. Quod enim 1º. parvuli non sint comparituri, tenent Durandus et Albertus M. a Dionysio Carthus. relatus, et Cornelius a Lapide, licet nobis confrarius, probabile habet. Nec huic opinioni obstant textus citati; tum quia vox *omnis* in Scriptura usurpatur saepe pro parte longe majori, qualis est multitudo adulorum respectu infantium: tum quia hi textus intelligi possunt de adultis, ad quos etiam propositiones universales restrictas ipse contextus in tribus prioribus ostendit. De primo enim patet ex commemoratione operum misericordiae ibidem facta: de altero ex verbis subjunctis: *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo: de tertio ex ipso integre recitato: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

2º. Neque *fide* certum est, comparituros etiam in judicio infantes fore de numero judicandorum. Adfuturos enim duntaxat, ut videant judicis gloriam et judicium de aliis ferendum, censem Abulensis, Dion. Carthusianus, S. THOMAS in 4. dist. 47. q. 1. a. 3. ad 3. et Suarez probabile dicit. Imo nec omnes adultri comparituros ut judicandos, sed aliquos tanquam judices et supremi judicis assessorum manifestat promissum Christi Matth. 29. Apostolis datum.

3º. Multo minus de *fide* est, parvulos in sinistra locandos et cum haedis, eujusmodi adulti reprobi ob spurcitiam, petulantiam et fotorem malorum operum vocantur, eadem sententia condemnandos. Quamvis enim ex *fide* noverimus regeneratos infantes participes coelestis gloriae, non regeneratos autem ab ea excludendos fore; non satis tamen ex Scriptura, Conciliis ac

Patribus constat, eos futuros in sinistra, aut secunda sententiae parte afficiendos.

*Inst. 1. ex parabolis.* Matth. 3. v. 10. dicitur : *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Et v. 12. *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. 13, parabola de sagena missa in mare, et bonos ac malos pisces congregante sic concluditur v. 49 : *Sic erit in consummatione seculi : exhibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.*

R. Has parabolæ vel ipsa parabolarum ratio, vel S. AUGUSTINI etiam nobis oppositi explicatio ostendit non pertinere ad infantes : 1<sup>a</sup>. enim de adultis loquitur, qui fructum facere cum possent, minime fecerunt. Nam *arbores* etiam ante unam vel alteram diem plantatae in ignem non mittuntur, etiam si fructum non ferant. 2<sup>a</sup>. et 3<sup>a</sup>. juxta S. Aug. L. contr. Donatist. post collationem c. 4. n. 6. et 10., nomine *area* et *sagena* intelligit Ecclesiam, atque hinc in illa positos et in hac inclusos tantum proponit fideles et baptizatos; unde ad infantes minime spectat, qui sine baptismō mortui in Ecclesie *area* aut *sagena* nunquam fuerunt.

*Inst. 2. ex sententiis.* Matth. 25. v. 41. legitur : *Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt : discidete a me maledicti in ignem aeternum.* In Apoc. 20. v. 13. *Qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Et in symbolo, quod S. Athanasio adscribitur, habetur : *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem : et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam ; qui vero mala, in ignem aeternum.*

R. Similiter. Quamvis enim judicium universale futurum, et adfuturos etiam parvulos cum adultis, fideles cum infidelibus, justos cum peccatoribus teneamus; non tamen probatur, aut eamdem in omnibus formam judicii aut sententiam in omnes eamdem ferendum vel servandam esse. Jam vero

In primo describitur forma judicii circa *adultos* et quidem *fideles* servandi, ut ex ipsis Evangelii verbis liquet; tum quia multitudo judicandorum comparatur gregi *ovium* et *haedorum* sub uno pastore; constat autem Ecclesiam, in qua boni et mali sunt, similem esse gregi ejusdem pastoris: tum quia mali vocantur *haedi*, quod de fidelibus intelligendum; cum infideles in Scriptura dicantur lupi potius aut *canes*: tum quia ratio damnationis non assertur defectus fidei, sed omissione bonorum operum, qui vivæ fidei fructus esse debent. Atque sic etiam intellexit Aug. L. c. cont. Donatist. c. 4. n. 6., L. de fide et op. c. 13. n. 25. et in QQ. ad Dulcit. q. 1. n. 4. Quamvis vero idem S. Doctor hunc locum serm. 14. de verb. Ap. (al. serm. 294. c. 3. n. 3.), refulerit etiam ad parvulos, haec tamen extensio non colligitur ex textu sacro.

In secundo et tertio sermonem de adultis esse, vel ipsa verba manifestant; in Apocalypsi enim premititur : *Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et aliis liber apertus est, qui est vita : et iudicati sunt mortui ex his, que scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.... Et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant : et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Ubi ne per pusillos quis putet intelligendos infantes, facit tum illud, quod sequitur, iudicatos esse

secundum opera ipsorum : tum quia juxta interpretes recte hic indicantur, non aetate aut statura, sed dignitate et gradu inferiores.

Porro quænam forma judicii servanda sit et ferenda sententia in *parvulos*, aut *ethnicos*, vel non erat necesse promulgari in Evangelio, quod ad solos fideles pertinet, et ab his unis creditur: vel satis in genere declaratum est Joan. 3. v. 8. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et v. 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam.* Item ad Rom. 5. v. 16. *Judicium quidem ex uno in condemnationem.* Et v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.*

*Inst. 3.* Ex modo dictis liquet, infantes ob peccatum originale esse *condamnatos*: *condemnatio autem dicit poenas sensus;* ergo. Conf. Apoc. 20. v. 6. dicitur : *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima ; in his secunda mors non habet potestatem,* c. 21. autem v. 8. legitur : *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda.* Ast parvuli non habent partem in resurrectione prima; ergo in eis potestatem habebit mors secunda, per quam ex dictis intelligitur pena sensus.

R. D. m. *Condemnatio corresponds peccatis actualibus, et communiter sumpta dicit poenas sensus.* C. corresponds tantum originalibus et proprio quidem non communiter sumpta; quia rario de ea in sacris litteris fit mentio N. Infantes non regenerati vere dicuntur *damnati*, quia privantur omni beatitudine.

*Ad Conf. R.* Secundum superius dicta, sermonem ibi esse de *adultis*. Esto autem, hunc locum ac similes intelligi posse de infantibus, utpote qui dici possunt judicandi secundum *opera ipsorum*, non propria quidem voluntate, sed per Adamum facta, ac illos proinmittendos etiam in stagnum ignis; inde tamen eos *pœna sensibili* afficiendos nequidem evincitur. Vel enim explicari potest, eos esse mittendos in locum, ubi est ignis, quin tamen ab eo inflammantur; quia pars hujus loci ab igne sejuncta est: vel ab igne quidem eos esse detinendos, non tamen cruciandos; quia ignis infernalis non habet vim urendi, nisi ut instrumentum *divinae justitiae*, et propterea sicut alios magis, alios minus torquet, ita aliquos nihil laedere poterit.

*Inst. 4. Conc. FLORENT.* in litteris Unionis statuit, *illorum animas, qui in actuali peccato mortali vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Sed infernus notat locum tormentorum sensibilium, et pœnarum disparitas immittit duntaxat inæqualitatem intensivam pœnarum; ergo.

R. Duriusculum est existimare, hac propositione a Concilio damnatam esse sententiam plurium SS. Patrum, scholarum Principum, et omnium ferme illius temporis Theologorum. Nec gravè minus est asserere, Scholasticos prope omnes Concili huic definitionem ab ea ad nostram usque aetatem aut non perspexisse, aut irreverenter neglexisse. Unde N. m. Nomine enim *inferni* exprimitur æque limbus infantium, ac Patrum ante Christi passionem defunctorum.

Atque hoc sensu in symbolo Apostolorum dicitur *Christus descendisse ad inferos*: Gen. 37. v. 35. Jacob mortem Josephi deplorans aiebat : *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Per pœnarum disparitatem autem non indicatur hic parvulos quidem mitius, alios autem gravius igne torquendos; cum et haec inter eos reperiatur, qui actu peccaverint; sed quod illi solum

puniantur poena damni, alii vero poena damni simul et sensus; siquidem vox *dispar* non dicitur solum de inaequalibus in gradu, sed et de diversis in specie: ut cum homines et angeli disparis naturæ dicuntur.

*143. Obj. II.* Plures SS. PATRES sunt contrarii, et S. FULGENTIUS etiam relatus in Can. *Firmissime*, de Consecr. Dist. 4. ait: *Firmissime credere, et nullatenus dubites, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, si sine Sacramento baptismi hoc de seculo transeunt, ignis aeterni supplicio esse puniendos*; ergo ab illis non videtur esse dissentendum.

R. 1º. Plures cum S. THOMA et BONAVENTURA negant, hos SS. PATRES nobis reipsa esse contrarios, intelligendosque volunt, dum de igne loquuntur, de *poena damni*; tum quia S. AUGUSTINUS, quem alii Patres hac in materia ducem secuti sunt, ipse q. 9. in Josue dicit, quamlibet poenam significari posse *nomine ignis* iuxta Scripturæ phrasin: tum quia allata ab illis argumenta plus non probant. Unde etiam Glossa in Can. *Nulla* de Consecr. Dist. 4. non aliam poenam parvulis non regeneratis assignans, quam tenebras, h.e. privationem visionis Dei, subdit: *Et haec carentia est poena ignis, de qua intelligendus est Canon Firmissime, qui desumptus est ex Fulgentio.*

R. 2º. Alii, permissa PATRUM contrarietate, volunt, quæ altera etiam est Doctoris Angelici et Seraphici responsio, plus quam vellent intelligi a Patribus dictum, eumque loquendi modum usurpatum, ut detestabilem redderent ac extirparent Pelagianorum errorem, qui in parvulis nullum esse peccatum, nec aliquam eis poenam deberi asserebant. Præterea haec PATRUM sententia limites opinionis non excessit, et, ut Estius notat, ab ipsis suis auctoribus, excepto FULGENTIO, nec tanquam fide tenenda asserebatur, nec opposita velut hæretica damniabatur. Quare sine omni irréverentiae nota ab his ad alios PATRES secessio fieri potest, et negari consequentia.

*144. Obj. III.* Parvuli sicut nascuntur, sic non baptizati in aeternum manebunt filii iræ divinæ. Sed ira divina nihil aliud est, quam decretum damnationis ad poenam aeternam; cum Deus exinde aeternum ejusmodi parvulos tanquam inimicos suos odio habeat et tractet; ergo.

R. D. min. Ira divina nihil aliud est, quam decretum damnationis ad poenam aeternam vel negativam damni, vel positivam sensus T. vel C. Soluim, aut necessario ad poenam positivam sensus N. *Ira divina* respectu peccatorum personalium est decretum divinum privans eos beatitudine, et addicens poenæ sensus: respectu reorum peccati tantum originalis est solum privans beatitudine.

*Ad rationem D.* Deus parvulos tanquam inimicos odio habet et tractat illis infligendo poenam sensus N. eos privando beatitudine C.

*Inst. 1.* Peccatum veniale actuale, licet levius originali, punitur tamen poena sensus; ergo et originale; præsertim cum alias decedens cum originali et personali mortali non puniretur *gravius*, quam decedens cum solo personali mortali.

R. N. Cons. Quamvis originale non puniatur poena sensus ex dict. *in thesi*, punitur tamen privatione conspectus divini, quæ de se major est omni alia poena peccati venialis, quæ per se juxta Catholicos omnes ab aeterna beatitudine non excludit.

*Ad Prob. R. D.* Non puniretur gravius quoad poenam sensus, si nempe baptismum non contempsisset, aut culpabiliter neglexisset C. quoad poenam damni *Subd.* Non *gravius* intensive N. extensive C. Poena damni morali intenderit, quando, ut hic fieret, *ex multiplici titulo* debetur; sicut excommunicatus propter plura peccata, quorum singulis statuta est hæc censura, intensive magis excommunicatus a S. TH. in 4. dist. 18. q. 2. a. 3. dicitur.

*Inst. 2.* Christus pro peccato originis expiando poenam sensus gravissimam subiit; ergo hæc poena originali est debita.

R. N. Cons. Christus non pro originali duntaxat, sed et pro actualibus culpis passus est, quibus poenam sensus deberi certum est. Cæterum non passus est poenam peccatis *directe* debitam; cum nec poenam damni nec gehennæ sustinuerit: sed aliam subiit, quæ, quia ob dignitatem personæ patientis infiniti meriti fuerat, plenissimam et superabundantem satisfactionem præstabat.

*Inst. 3.* Parvuli post judicij diem non habebunt corpora gloria, sed *passibilia*; ergo aliquid patientur, tum a mutatione rerum naturalium, tum ab igne, a quo saltem detinebuntur; in qua alligatione, juxta probabilem Theologorum sententiam, poena ignis infernalis consistit.

R. N. Cons. Licet corpora parvulorum futura sint *remote* et *in actu primo* passibilia, non tamen erunt proxime, seu actu ipso quidpiam patientur; sicut quia post judicium cessabit vicissitudo rerum naturalium; tum quia haec non minus ac ignis agent ut instrumenta duntaxat divinæ justitie; quæ cum non exigat punitionem parvulorum, nec horum corpora inde lœdentur. Porro an *in limbo*, an in ipso *igne futuri* sint parvuli, ex supra dictis definiiri nequit. Ad haec, quamvis concedatur detentionem damnatorum partialiter constituere poenam sensus, si contraria sit, activa et afflictiva, poenæ tamen rationem non habebit in parvulis; quia est *mere negativa* proveniens a negatione concursus divini, sicut fuit in Patribus antiquis ante passionis dominicæ tempus in limbo detentis.

*Inst. 4.* Parvuli baptizati non solum videbunt Deum, sed etiam fruentur bonis corporis, quæ *Beatorum doles* appellantur; ergo a contrario non baptizati preter privationem visionis divinæ afficiuntur poenis sensibilibus corporis. *Conf.* Idem in hac vita puniuntur poena sensus, cum sint obnoxii infinitis prope calamitatibus; ergo etiam in altera vita poenam sensus patientur.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia illi, qui per gratiam in baptismo acceptam constituantur filii Dei et hæredes regni coelestis, habent jus etiam ad *doles corporum*: hi vero ex hactenus dictis non incurunt debitum ad poenas sensum subeundas. Licet vero major sit liberalitas Dei in præmiando quam severitas in puniendo, satis tamen magnum est malum, puniri poena damni parvulum ex alieno peccato.

*Ad Conf. R. 1º.* Cum BELLARM. D. A. Puniumur in hac vita poena sensus per se N. per accidens C. Mors enim et alii corporales defectus, supposita amissione justitiae originalis, sunt potius proprietates connaturales, quam poenæ stricte dictæ. Cum vero in altera vita passibilitas et mortalitas ex ordinatione divina sit cessatura; ibi nequidem per accidens has poenas patientur parvuli.

R. 2º. Cum S. BONAV. N. Cons. Quia etsi temporaliter puniri pro peccato originali sit justum, non tamen sequitur, quod aeternaliter.

143. *Observa.* Sententia hactenus propugnata satis se discernit ab errore Pelagianorum, qui tria completebatur: 1º., parvulos non baptizatos carere omni peccato: 2º., sine baptismo eosdem decedentes ad nullam damnationem pertinere: 3º., quinimo eos vitam aeternam obtinere, qua ad minimum et juxta communiorem intellexere beatitudinem naturalem. Quantum autem a triplici hoc dogmate Doctores Catholici omnes abhorreant, nosque recesserimus, ex dictis liquet.

*QUÆRES:* An parvuli sine baptismō decedentes patientur internum animi dolorem ob privationem beatitudinis?

146. R. Parvuli hujusmodi tristantur de privatione beatitudinis.

*Prob.* Ex AUCTORITATE S. AUG. qui L. 6. contr. Julian. c. 10. n. 32: de his parvulis scribit: *Si hoc (separari a regno cœlorum) eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei? si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creatur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?* L. 5. contr. eundem c. 11. n. 44. ait, specialem poenam futuram esse parvulis, separari a consortio suorum parentum; majorem igitur poenam habebunt, ex quo separati fuerint a fine suo ultimo et patria cœlesti. Item L. 3. cont. Julian c. 12. n. 23. asserit, parvulos luctuoso puniendos exilio; si autem exules lugent, necessario tristabuntur. Ejusdem sententiae est FULGENT., GREG. M. etc.

*Conf.* Supra ostensum est, parvulos nulla felicitate aut quiete fructueros; sed si nullo prorsus dolore nulla tristitia corporis aut animi tangerentur, certe magna quiete fruerentur.

*Prob.* Ex RATIONE. Tum quia naturale prorsus est dolere ob privationem boni nobis destinati vel debiti, quale pro parvulis est regnum cœlorum: tum quia parvuli cognoscēt, amabunt et magni facient gloriam cœlestem; atque inde ejus privationem, hujusque causam non poterunt non ægre ferre.

*Conf.* Quia hactenus nulla solida ratio asserri potuit ab adversariis pro sua sententia. Non enim tenet 1º., quod infantes nunquam habituri sint cognitionem damni sustinendi; nam in die judicii saltem statum suum cognoscēt, et ut probabilis est, eidem iudicio assistentes videbunt, alios a peccato originali expiatos in cœlum evehi, se autem ab illo excludi ob idem peccatum. Cognitio autem beatitudinis tam parum vel requiritur vel desiderabitur in parvulis ad tristitiam, quam parum in infidelibus adultis ob peccata etiam personalia damnatis necessaria erit ad tristitiam concipiendam, aut deficiet. Nec 2º., quod parvuli non habuerint facultatem ad gloriam; remotam enim illis facultatem in Adamo, et hinc quoddam quasi jus ad gloriam nemo certe negabit. Nec 3º., quod parvuli cognituri sint, se non propria sed aliena culpa illo bono excidisse; nam experientia docet, homines etiam de damno ex alterius culpa dato non minus, ac interdum multo magis dolere: aut lenire quidem illud dolorem potest, tristitiam tamen penitus non aufert. Nec 4º., quod cogitatio damnationis, quam evase-

rint parvuli, impediat tristitiam orituram ex consideratione amissæ beatitudinis; haec enim cogitatio temperare quidem, non impedire poterit tristitiam in eo, qui desiderat utrumque, et evadere malum et adipisci bonum; præsertim cum gloria cœlestis multo estimabili sit præ liberatione a tormentis inferni. Nec 5º., quod partim ex prudentia et rectitudine voluntatis parvulorum se voluntati divinae conformantium, partim ex providentia Dei suum concursum negantis accidat, ne illi tristitiam sentiant, aut ullum de amissa beatitudine dolorem; etenim præterquam quod haec gratis et sine fundamento dicuntur, 1º. tristitiam similem nequidem impedit in animabus a purgatorio detentis, quantumlibet illæ videntur longe perfectius se divinæ ordinationi subjicere: 2º. vix credibile videtur, eo quod nihil sit, quod Deum munificum adeo ac liberalem fore persuadeat erga peccatores sibi inquis, iræ filios, et propter labem originalem damnatos.

*Nec dicas:* Parum nos constanter agere, qui hic auctoritatem S. AUGUSTINI appellemus, quem priori articulo negleximus: quin turpe esse, recedere nunc a S. GREG. NYSENNO, cuius testimonium num. 141. laudatum in confirmationem nostræ sententiæ nuper adduximus.

R. Magnam quidem S. AUGUSTINI auctoritatem esse, non tamen irrefragabilem; Item SS. Patrum testimonia non nisi unanimia locum theologicum præstare, alibi ostendimus; unde, si iidem inter se divisi sint, partem unam sine alterius vilipensione sectari licet, que gravioribus fundamentis nititur. Cujus rei ipse nobis S. Aug. documentum præbuit, dum ep. 19. ad Hier. ita scriptis: *Ego enim fateor Charitati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam...* Alios autem ita lego, ut quantilibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Atque hoc ipsum in postremis questionibus circa S. Aug. observavimus. Porro vim verbis NYSENNI non facimus, si dicamus eum de mœstia loqui, quæ non ex pena damni, sed ex pena sensus consequitur.